# *DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,*

DE

# RHEUMATISMO.

Faucett (R.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# RHEUMATISMO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

## D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

*ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;*

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto

## PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


## RICARDUS FAUCETT,

HIBERNUS,

SOCIET. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTR. ET PRÆS. ANN.


AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

---

Nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magnâ laude dignum ſine uſu et exercitatione conſequi poſſunt. CICERO.

---


EDINBURGI:

*CUM PRIVILEGIO.*

APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCVII



Surgeon Genl's Office
LIBRARY
W.S-2180
Washington, D.

VIRO ADMODUM ILLUSTRI

# GEORGIO JACKSON,

DE PROSPECT ARMIGERO,

MILITIÆ MAYOENSIS AQUIL. (SEU TERTIÆ)

LEGIONIS PRÆFECTO:

NECNON

VIRO REVERENDO

# CAROLO KENT,

S. P. D.

## RICARDUS FAUCETT.

Conficienti mihi jam, viri ſpectatiſſimi, ſtudiorum academicorum curriculum, magnoperè lætor tandem oblatam eſſe occaſionem, vobis gratias dignas meritaſque palam perſolvendi; vobis, qui me benevolentiâ amicitiâque veſtrâ proſequi haud dedignati eſtis. Tibi vero, illuſtriſſime Jackson, promptiſſimum illud tuum omnia humanitatis officia præſtandi ſtudium, miram tuam morum ſuavitatem, quæ te omnibus ſub tuis auſpiciis militantibus carum acceptumque reddunt, aliaſque virtutes tuas eximias prædicare, nullo præconio, nedum noſtro, opus eſt. Neque hîc tecum virum admodum reverendum, literatiſſimum, ſermone cultiſſimum, pietate omnique aliâ virtute privato in vitæ conſortio apprime ſpectandum, tibi ipſi dilectum, mihique amiciſſimum, compellare pigebit. Vos igitur, viri præſtantiſſimi, oro obſecroque, haſce ſtudiorum meorum primitias, ſummæ obſervantiæ gratiſſimique animi teſtimonium, benigno vultu accipite.

Proſpere vivatis diu floreatis.

RUDE at the firſt, the winter ſhocks you leſs
By long acquaintance: Study then your ſky,
Form to its manners your obſequious frame,
And learn to ſuffer what you cannot ſhun.
Againſt the rigors of a damp cold heav'n
To fortify their bodies, ſome frequent
The gelid ciſtern; and, where nought forbids,
I praiſe their dauntleſs heart: A frame ſo ſteel'd
Dreads not the cough, nor thoſe ungenial blaſts
That breathe the Tertian or fell Rheumatiſm;
The nerves ſo temper'd never quit their tone,
No chronic languors haunt ſuch hardy breaſts.

ARMSTRONG.

# *DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,*

DE

# RHEUMATISMO.

*Auctore, RICARDO FAUCETT.*

QUAMVIS parum ex ſcriptis antiquorum medicis de rheumatiſmo colligi poſſit; non eſt tamen, quod morbum genus humanum illis temporibus ea, qua nunc dierum obſervari ſolet, vehementia, non inceſſere, opinemur. Huicce vero opinioni pondus addere: Modo mihi liceat ſententiam, quam Hippocrates diſſertatione ſua de affect. inſeruit, recitare. " Cum articularis morbus de-
" tinet articulos ignis et dolor invadit, et brevis

" quidem et acutus evadit, ſed minime lethalis, " junioribus magis quam ſenioribus contingere " ſolet." Attamen neque qui baſin medicinæ ſubſtravit, nec qui poſt eum floruerunt ad Ballonium uſque, hanc ab aliis affectionibus, quæ corporis humani juncturas occupant, diſcreverunt; ſed omnes ſub nomine Arthritis comprehenderunt. Bal. primus hunc morbum depinxit, a podagra diſcrevit, huic nomen Rheumatiſmus indidit, viamque medendi propemodum idoneam inſtituit. Neque Riverius nec ſolertiſſimus Sydenhamius ſententias de ejus natura medelave longe diverſas protulerunt. Ex omnibus autem qui morbos ad formam ſyſtematis reduxerunt, nemo, quantum ſciam, tam plenam et luculentam morbi hiſtoriam, poſteris tradidit, ac Cullenus admodum venerandus; cujus definitionem præcellentem inſerere volo.

" Morbus ab externa et plerumque evidente " cauſa; pyrexia, dolor circa articulos, muſculo- " rum tractum ſequens, genua et reliquos majores, " potius quam pedum vel manuum, articulos, in- " feſtans, calore externo auctus."

HISTORIA

## HISTORIA MORBI.

Nulla fortaſſe regio hoc morbo penitus exiſtit immunis, calidis autem multo rarius obſervari ſolet, quam temperatis ac frigidis. Maxime in veris atque autumni tempeſtatibus genus humanum inceſſit vexatque: Attamen, hoc non ſemper ita ſe habere, atque ejus tentationes finibus modo poſitis circumſcribi non poſſe, neminem in rebus medicis vel modice verſatum latet: Quippe vero id, magna ſaltem ex parte, de cœli temperie vel in æſtate vel in hyeme vices ſuas ſubito variante, pendere videtur. Ex jam dictis liquido patet, in iis præſertim regionibus mutationes cœli quam maxime ſubeuntibus increbeſcere: Niſi quidem hæ repentinæ mutationes, ſtatim atque occurrunt, veſtimentis quam cœli varietatibus apte reſpondentibus, in Hungariæ Sinarumque incolarum morem, caute præcaveantur: Hoc enim conſilio hi ſagaces morbis acutis omnigenis minus obnoxii fiunt, et tam raro ab iiſdem afficiuntur.

Adſunt fere dolores aliqui, per unum diem vel alterum modici vagique plus minuſve exiſtentes, antequam ſigna, quæ pyrexiam rite indicent, fuerint aggreſſa. Morbum, ubi res ſic ſeſe habent, leniore obſervatum fuit gradu ſubeſſe. Nonnunquam autem pyrexiæ ſymptomata ſeſe prius manifeſtant: Æger languore, laſſitudine, et rigoribus corripitur; his calor auctus, ſitis, inquietudo, pulſuſque frequens, plenus, validus et quandoque durus, brevi ſuperveniunt. Hos vero dolores aliquo, forſan biduo vel triduo, tempore elapſo excipiunt, acres et erratici in diverſis corporis partibus. Sentiuntur autem mox in juncturis majoribus, humeris ſcilicet, cubitis, carpis, coxis, genibus taliſque inſigniter acuti et maxime frequentes. Quanquam hæ omnes admodum raro uno eodem conflictentur tempore; haud tamen inſolitum eſt, quod plures earum una, gradu vero inæquali, dolore premantur; doloribus, quoad ſedis mutationem ab una ad alteram junctura et regreſſus in prius affectam, imprimis notabilibus ſimul exiſtentibus.

Quantum-

Quantumvis autem cunque miſero interdiu cruciatus concitent; certe, non ea, qua graſſantur ſub veſperam noctuque, vehementia, ſemet oſtendunt. Ad hæc enim tempora quam ſpecialia pyrexiæ indicia magnopere intenduntur, et cum iis dolores admodum acres, torquentes, exacerbantes evadunt, vixque furorem remittentes perſtant uſque ad auroram verſus, ubi plerumque evadunt leniores. Noctu quoque, quam mutationem loci maxime amant; et paulo poſt mutaverunt, idem iter ſæpe remetiuntur. Torquentur dolore articuli, qui afficiuntur, adeo gravi ut actiones eorum ſolitæ vel prorſus impediantur, vel ſaltem ægre, et haud ſine angore vix non intolerabili edendo, abſolvantur. Ægrotus ſic inter acerrimos doloris morſus, lecto affixus, iterum atque iterum poſituræ artuum laborantium mutationem maxima cum cupiditate exoptat; cæterum nunquam non eventum magnopere timet. Si quando quidem moliretur ad conatum vix valet conficiendum ſine ope aliena, et hac perquam leniter adhibita: Porro non poteſt æger ipſis ne minimum tactus digiti

cujuſlibet

cujuſlibet juncturis facti impune pati: Quod valet utrum tumor conſpiciatur, necne.

Ægrum vexant dolores adeo pungentes, quod ſomnus vel fere nullus ſit, vel obrepens brevi poſt tempore prorſus interpellatur, et, ut decet, minime reficiens. Delirium tamen haud ægrotantis, niſi quidem propter pervigilium vel dolores nimios, " Vehementior autem dolor nimiam irrita-" tionem facit, totum genus nervoſum convellit, " et pervigilium, delirium, debilitatem, animi de-" fectionem inducit;" vel denique per materiei, ut aliqui ſibi perſuadent, morbificæ metaſtaſin, turbationem facit. Ad hunc modum dolores huc illuc demigrantes, ingraveſcentes, pleroſque articulos majores et aliquando ſimul etiam minores moleſtant, et ubi vires ſuas potiſſimum exercent, ibi, maxima ex parte, tumor cum aliquo præter ſolitum rubore ſuboritur, remiſſionem fere miſerandi angoribus quodammodo allaturus. Tametſi vero ſudor ex corporis ſuperficie viſcidus huc uſque exudaverit, tamen nequaquam in univerſum, neque ad ægrum levandum, quo decet, permanat.

Urinæ

Urina uſque fere ab initio colorata, parca reddita, aliquot diebus jam prætereuntibus, nonnihil materiæ ad imum matulæ lateritiæ deponit *. Quanquam vero aliquid intermiſſionis hoc phenomenon, magna ſaltem ex parte, deducat; tamen haud ſæpe finem morbo imponit, neque dolores, quo minus ex integro recrudeſcant, demum præhibet. Alvus per hujus morbi decurſum fere adſtricta, haud ſæpe ad naturam, rarius adhuc ſoluta. Cibi appetitus, ut plurimum fit febricitantibus, cum maxime deficit. Sanguis hoc in morbo detractus, cruſta, qualis in pleriſque morbis, qui inflammationem habent, obſervari ſolet, poſt aliquo tempore, quam e venis fuerit miſſus, coriacea obducitur. Tuſſis perſæpe, haud parum moleſtiæ ſecum afferens, ægrotum fatigat.

Finitur morbus perraro ſuppuratione (ut modo ſignificatum), gangrena, ſchirrove. Aliquando autem latex gelatinoſus in tendinum vaginas effunditur, qui uſitate mox inde reſorbetur, diuturnos tumores

* De hujus autem ſpecie obſervandum, quod non in omnibus conſtantiam præſtet.—*Greg. Prælect.*

tumores insolenter efficiens. Attamen D. Storck posteris quædam exempla tumorum valentiæ uniuscujusque remedii, quod adhibebat, obsistentium, demumque scalpelli interceſſionis indigentium, tradit. Quod ad morbi durationem attinet, vix, aut ne vix vero, in diversis eandem, vel constantem observatur esse, mortalibus. Duabus autem vel tribus septimanis elabentibus, pyrexiæ signa et sæpe cum iis dolores ut plurimum mitescunt, et pedetentim, haud æquis vero passibus, se subducunt. Quod si dolores, indiciis febris jamprimum discessis, etiamnum ad ægrum exercendum perstiterint, inveteraverint: Dicitur tum morbus in rheumatismum chronicum, optimo quidem jure, degenerasse. Inter omnes, qui medicinam exercent, docent et ipsis observationibus locupletiorem reddunt, quod hæcce species (si nomen revera mereatur) multo genus humanum, ac modo depicta, sæpius affligat, satis constat. Quippe quæ his, pluribus laborantibus, prospiciendi ansam, usitate præbeat. Genus masculinum potius premit, quam fœmininum, et in utro-

que

que ſexu proletarios potiſſimum; cujus rationem, haud fere quiſquam qui reſciſcat, quem modum vivendi habent, ignoret. Etiamſi non paucos natis annos nedum ſenio confectis, omnino parcat, tamen exempla admodum pauca, morbi homines vexantis in utravis ætate pro ratione ætatis ab anno viceſimo ad quinquageſimum, nobis ſuperſunt. Laborant itidem in hac, ac modo deſcripta, diverſarum corporis partium juncturæ; ſpecialiter vero atque ſæpius membrorum inferiorum, talorum nempe et coxarum, at ſæpiſſime lumborum. Doloribus haſce duas poſteriores inſidentibus proprias appellationes, iſchiadis nimirum, lumbaginiſque, medici impoſuerunt. Lumbago et iſchias, affectiones revera pervicaciſſimæ, haud raro ægroti ſpes ſoliciti, pariter ac medici medicamina de propria experientia, et certe, ſæpe aliena, ſtudioſe adhibentis fallentes, quandoque acuta, multo autem crebrius chronica ſunt mala, et ſæpenumero ægrum una inquietant vel ſaltem dolores ab loco ad locum tranſeunt, nempe a lumborum regione ad os ſacrum (ut a claro Sydenhamo apte fuit

notatum) et a coxendice per femur exterius ad caput fibulæ, vel etiam ad pedem uſque. Hi dolores artuum truncive corporis motu haud parum augentur, quod pariter continget plerumque ad cœli mutationem, et pauci quidem hoc morbo diſcruciantur, qui inſtantis cœli intemperiei non ſint præſcii, et vice barometros optime funguntur. Nulla adſunt pyrexiæ ſymptomata; pulſus mollis et fere debilis exiſtit. Perraro artus dolentes præter naturam rubeſcunt, quin potius plus minus rigidi frigidique evadunt. Tumor, ſi ſit ullus, ſpeciem præ ſeſe fert raro phlegmonoideum, et tactus preſſuram ſine ægri incommodo fere tolerat. Dolores ad tranſeundum ab uno articulo ad alterum minus propendent, pancos ſolum inſident, et ut plurimum a calore levationem obtinent. Corporis functiones quas vocant naturales, magna ex parte, ad ſua munera valent. De hujus diuturnitate vix quidpiam pro certo dici poteſt, nonnunquam enim per totam vitam uſque ad extremam ætatem perſtabit, perquam medicamentis variis adhibitis contumaciter repugnans, interdum etiam prorſus immedicabilis

medicabilis, et haud raro periculum eſt, quin torporem paralyſinve inducat, vel demum in ipſam articulorum anchyloſin, væ miſerando ſtatui! deſinat.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Inter cauſas quæ quoſdam præ cæteris aptos, ut in morbum incidant, mortales efficiunt in primis recenſenda eſt diatheſis phlogiſtica, qua via cunque ingenerata vel inducta: Etenim bene multa ad hujuſmodi conſilium conficiendum licet, conferant; qualia ſunt ratio vivendi plenior et magis opipera, exercitatio impar, ſomnus nimius, exinanitionum ſolitarum repreſſio; ſcilicet hæmorhoidis, ſanguinis miſſionis periodicæ, menſium, &c. Qui temperamenti ſanguineo prædiți ſunt, morbo imprimis opportuni evadunt: Quibuſdam autem non ſpeciem hoc temperamento prædítorum præ ſeſe ferentibus ineſt proclivitas ad morbum a labe hæreditaria profluens, et evenire licet, quod multi ex gente eadem eo laborent. His rebus ita ſe haben-

tibus, ratio ferme in aprico eſt, cur qui florenti ætate; ſcilicet, a quindecimo ad annum quadrageſimum, vigent, huic morbo quam natu minores, anniſve provectiores, et fœminæ quam viri, magis proclives exiſtant. Quidam vero, nec parvi nominis medici, ita animum induxerunt, qui opinionem ſatis rationi et experientiæ inconvenientem, nimirum debilitatem evacuationibus largis provenientem irritabilitatem corporis intendere et protinus huic occaſionem ſubminiſtrare, proferant. Aſſeverare irritabilitatem non unquam huic morbo ſuffragari, ſententiis meis prorſus alienum eſt. Quin potius perſuaſum habeo juſto iis, qui morbo plectuntur, plus ineſſe irritabilitatis cum ſentiendi ſimul facultate acriori et iis, quæ ad malum ſuſcipiendum magis idoneos homines efficiunt, omni quidem jure annumerari. Alii vero, quorum celebritas longe lateque emanat, debilitatem hunc, haud ſecus ac alios morbos inflammationem habentes, anteire comminiſcuntur.

Quomodo hæc commenta miranda ad diſciplinam medicinæ vel ſtudiis ejus incumbentis excolendam conferunt?

conferunt? Quorſum tam vagæ, vanæ, calliginoſæ excogitationes pertinent? Qua ratione praxi ſubminiſtrant? Quouſque demum ſpectant? Ad idem ac, immenſa panditur planities, ut ſubjectos campos terminare oculis haud facile queas. Qui ante (rebus circumſtantibus modo faventibus) morbo correpti, haud ſecus ac aliis ejuſmodi, pneumonia, diſtillatione, &c. hujus reditui plus minus patent. Denique annotandum eſt, quod calor, quippe qui cutis ſenſum moveat et hujus ſpiraminum laxitatem intendat, corpus huic morbo admodum proclive reddat.

## CAUSÆ EXCITANTES.

Frigus cum humiditate ſtipatum, pro cauſa rheumatiſmi uſitatiſſima haberi poteſt. Hinc morbus homines jam opportunos factos, ſub cœli mutationem, jove calido et ſereno ſubito frigido humidoque evadente (ut inſulis in Britannicis ſæpe contingit), facile inceſſit. Dr Hope, in rebus chemicis

chemicis ac practicis cum primis eruditus, nullam fere causam tam sæpe apud rusticos morbum efficere, ac post gravem exercitationem humi madidæ eosmet ipsos sternere, ponit. Idem sibi persuasum habet, somnum lodicibus humidis capere, frequentem mali causam existere. Quidam tamen, qui contra experientiam, ratiocinationi eorum hypotheticæ tam adversam, volunt, hujus veritatem in dubium vocant. Nullus autem frigus corpori applicandi modus, tam pernicioſos effectus edit ac humiditas aliquandiu superficiei admota *. Aliquando ex intempestivo frigidarii, corpore præter solitum calente et simul sudore madente, descensu morbus suscitatur †; frequenter etiam ab hominibus domiciliis humidis nuper ædificatis somnum capientibus.

DIAG-

* Prælect. Gregor. Cel.

† Plurimum vero facit hac in re, haud secus ac aliis plerisque casibus, hominis consuetudo; adeo ut quod aliis plurimo malo futurum, alii ullo sine incommodo tolerent. Etenim qui Russiam et Siberiam, et Indi qui Americam septentrionalem incolunt, semet ipsos sudore diffluentes, hi aquis frigidis proluunt, illi vero nive pervolvunt.—*Percival. Essays Med. et Exper.* vol. II. p. 202.

## DIAGNOSIS.

QUANTI medicinam colentium juſtum et accuratum morborum tam ſibi invicem conſimilium, qui facile commiſceantur, ſi quidem ad eos animo, parum corporis humani malis curæ exhibente incumberent, at perſcrutatione magis aſſidua quibuſlibet indiciis impenſa, alterius alteri plane diſſimilium, in conſiliis medendi appoſite inſtituendis, diſcrimen interfit: Forſan, in nullo quam, de quo diſceptatur, morbo, tam liquido patefiat. Experti enim novimus, quam quotieſque medici, ſanguinis detractiones pene indiſcriminatim præcipiendo, in rheumatiſmi acuti pariter ac podagræ caſibus, neceſſe antiquitus erraverint; atqui cum maxime recentiore memoria, veſtigia ab his prorſus diverſa, premendo.

Cæterum morbi, quorum ſimilitudinem maximam habet rheumatiſmus, ſunt podagra, ſyphilis, ſcorbutus et nephritis. A podagra, me judice, dignoſcetur, quod homines vegetos, juniores, fœminas

minas magis quam viros, plurimum premit; quod dolores plures ſimul articulos, præſertim majores, muſculorum curſum tendentes, corripiunt; quod ſuperiores et tantum non ex æquo inferiores artus occupant; quod ſedis (ut ſupra notatum), mutatione, regrediendo eodem, exacerbatione ſæpiſſime gaudent, et denique; quod pro cauſa interna generalem diatheſin phlogiſticam et conditionem corporis vigentem, quod ſi pro externa, frigus plane agnoſcit. Quæ vero omnia diverſam, magna ſaltem ex partè, in podagra rationem habent. Hic morbus reapſe dolentiſſimus immanitatem carnificinamque, quas habet, in genus humanum ante quintum et triceſimum annum ætatis quam compleverint, ni corpori vix non inſuperabilis inſit proclivitas, inſolenter ſe arguit, colendo. " At- " qui ſæpe ſæpius in ætate, vel qui effrenata mo- " rum licentia ſenectutem præmaturius accerſive- " rint." Viris cruciatum multo, quam mulieribus, ſæpius infert. Inprimis dolores manuum pedumque digitorum juncturas, poſteriorum plerumque, infeſtant; una, eodem tempore fere circumſcripti,

ſcripti, et minus faciles exiſtunt, ſedem, niſi ad articulum ex adverſo latere reſpondentem, vel quoddam organum in cavo reconditum, hinc aliorſum qui commutent. Morbus, quod liquido ſit hæreditarius; ſymptomata, quibus dyſpepſia fere ſtipatur, qualia ventriculi cruditates, anorexia, &c. aliquot prius diebus, quem in morbum dilapſurum, afficientia, quam acceſſerit paroxyſmus; et denique tempus, ſub quo ſolet accedere, ad eum dijudicandum haud parum conferunt.

Ad ſyphilidem diſtinguendam hæc indicia fere valent; dolores profundius et ad centrum oſſium cranii artuumque circiter hærentes, vix ullus præter conſuetudinem tactu cruciatus, et plerumque nodorum et exoſtoſis præſentia. Scorbutum maculæ in variis corporis partibus cum maxime ad livorem accedentes, oris graveolentia, gingivæ ſpongioſæ, ſanguinem preſſura admodum levi effundentes, aſthenia, frequentes hæmorrhagiæ, præſertim e naribus, diſcernere plane proderunt. Quod ad nephritidis diagnoſin attinet, illam nauſea, vomitus, ſtupor cruris, in viris teſticuli dolor et re-

tractio, frequenſque urinæ vel admodum rubræ vel decoloratæ mictio, commonſtrant. Quinetiam morbo correptus corpus in illa, promptius et minus ægre, quam in lumbagine, flectendi et reflectendi facultate pollet.

## PROGNOSIS.

Scriptores medici hunc morbum, quamtumvis dolorificum acerbumque, rariſſime tamen per ſe quemlibet e vivis abripere, pene conſentiunt. Octoginta ex ægrorum acuto decumbentium et ſeptem caſibus, quibus Fowler medicinam adhibebat, duos tantum fatis conceſſiſſe certiores ſimus: Quorum alterum delirio, ex tranſlatione morbi ſubita ad cerebrum (ut ingenioſus cenſet) prius correptum; alterum vero dyſpnœa admodum vehementi, quam mors e veſtigio excepit, e ſimili tranſmigratione ad organa thoracica. Cel. Storck memoriæ, quoſcunque phthiſicos morbus inceſſit mortem oppetiſſe, prodit. Equidem vero

vix

vix animo hærendum, quin phthiſis exitui infauſto anſam præbuiſſet. Idem propemodum de typho aliiſque forte graſſantibus epidemicis, ſicubi in rheumatiſmo implicitum ille irruat et lethiferos effectus edat, licet, ponamus. Cæterum ſi ſemel atque iterum antea impetiverit morbus, et præſertim ſi intempeſtive inſciteque ſimul tractatus, ut in arthrodyniam vexantem ſeſe demittat, exinde periclitatur. Hæc utique aliquando commoda rerum adminiſtratione ſubducitur: Attamen haud oppido rarum, quod unamquamque medentis rationem pervicaciter irriſui habeat; vel etiamſi ſub medicinæ imperium ſubigatur, præ ægri imprudentia algori ſe proprius admoventis, aliave ratione, poſtliminio recurrat, iterum iterumque diſcruciet; junctura rum anchyloſi paralyſive tantum non inſanabli viam ſternens.

Ad ſummum ſi conſtitutio, quacum nobis res eſt, ſit bona, morborumque delitentium expers, ſi pyrexiæ ſymptomata non ſint admodum violenta, ſi diaphoreſis ex tota corporis ſuperficie libere dimanet, ſimulque magnam ſedimenti copiam urina deponat,

ſomnus ægrum altior ſpirituſque refocillans complectatur, appetentia cibi ſpontaneaque alvi dejectio recurrant, exitus morbi fauſtus haud temere prædici poteſt.

## RATIO MEDENDI.

Indole morbi, conſtitutionibus eorum in quos morbus impetum facit, gravique in chronicum degenerandi proclivitate, mature conſideratis, ſequentia medendi conſilia ſunt ineunda, 1*mo*, Diatheſin phlogiſticam totius corporis et partibus propriam tollere. 2*do*, Ne morbus in rheumatiſmum chronicum abeat, præcavere.

Ad primum conſilium abſolvendum, dies et experientia ſatis docent, nullum ſane remedium tantis viribus pollere, ac tempeſtivam ſanguinis detractionem, et ſemel inſtitutam, nullum majus ægrotanti commodum præbere. Medici autem de regulis ad hunc finem apponendis varie putaverunt. Nonnulli enim, nec qui haud inſignem ſibi in medicina famam compararunt, venæſectionem ſtatutis

diebus

diebus ad quartam uſque vicem celebrandam, ſuadent. Alii vero repetitam et fere diurnam, uſquedum calor febrilis et dolor vel omnino amoveantur, vel ſaltem multo magis leniores fiant. Quod ad ſanguinis quantitatem ſimul detrahendam et quoties repetendam, nulla regula certa aut perpetua inſtitui poteſt.

Hæc enim ad pyrexiæ et doloris vehementiam, ægri vires, ætatem, conſtitutionem, vivendique modum neceſſe quadret. In adulto mediocribus viribus prædito, ſanguinis decem unciarum parva, ſedecim plena detractio haberi poteſt. Paucæ ſanguinis unciæ e vena grandiore, amplo vulnere inflicto, miſſæ, multo meliores effectus hoc in morbo, quam duplex vel etiam triplex quantitas tarde elicita, præſtant; etenim quo magis ſubito effluit ſanguis, eo plus tonum et tenſionem cordis atque arteriarum minuit. In multis profecto caſibus ſingula detractio, aliis remediis idoneis ſimul adhibitis, abunde ſufficit. Sed ſæpe altera vel etiam tertia ſine ullo ægri incommodo, et maximo omnium ejus ſymptomatum cum levamine, intra duo-

rum

rum vel trium dierum ſpatium celebrari poteſt. Nullus enim morbus inflammationem habens, pneumonia modo prætermiſſa, ſanguinis jacturam melius tolerat. Licet venæſectio, intra certos limites inſtituta, præſtantiſſimum exiſtat remedium; nunquam non tamen memoria tenere oportet, nimis liberaliter adhibitam peſſumos effectus edere; hujuſmodi ſunt ſumma debilitas, hydrops et ſæpiſſime rheumatiſmus chronicus. Cum tantum ſanguinis e venis emiſſum fuerit, quantum generalem diatheſin phlogiſticam minuat et vim pyrexiæ magnopere ſolvat, dolore in uno loco ſæviente, et præſertim tumore et rubore ibidem ſeſe exercentibus, ad ſanguinis miſſionem ſpecialem præſtantiſſimo cum effectu decurritur. Huic conſilio hirudines vel cucurbitulæ cruentæ optime conveniunt: Hæ vel illæ anteponuntur, pro variis locis quibus admovendæ ſunt.

Alvi purgatio ad diatheſin phlogiſticam minuendam haud parum valet. Tametſi vero ſponte ſuboriens, vel medicaminum viribus concitata, ſæpe morbum depulit; attamen propter gravem moleſtiam,

leſtiam, quam artuum truncive corporis motus efficit, huic conſilio minus apta evadit. Ad alvum vero exinaniendam lotiones emollientes per anum infuſæ ſatis commode adhibentur; vel earum vice cathartica refrigerantia; qualia ſunt cryſtalli tartari; fructus tamarindorum, &c. Remedia autem quæ maximo cum fructu hoc in morbo adhiberi ſolent, cum primum diatheſis phlogiſtica magna ex parte rebus antedictis ſublata fuerit, ſunt ea quæ ſudorem eliciunt. Ad hoc conſilium efficiendum nullum tantis apud Gallos laudibus effertur, ac illud ex antimonio præparatum, quod kermes minerale vocatur; apud nos vero in deſuetudinem properat, et loco ejus pulvis ipecacuanhæ compoſitus jure quidem et plerumque cum ſucceſſu præſcribitur. Pulvis a granis quindecim ad viginti in boli formam ſummo mane adhibendus; æger rejectis omnibus veſtimentis et ſtragulis linteis, laneis ſolis involvendus; nihil aliquamdiu poſt pulverem devoratum ingerendum: Sed ubi primum aliquibus ſudoris guttulis madeat cutis, quivis potus tenuis, veluti ſerum lactis, &c. modice primum,

mum, poſtea magis liberaliter (ſed ſemper a ventriculo gravando nimia quantitate cavendum) adhiberi poteſt. Ut ſudor univerſus ſit, prorſus neceſſarium eſt: Igitur ſi pedes non facile ſudarînt, utres aqua calida repleti vel lateres calefacti iis ſtatim admoveantur. Quidam vero, qui rebus jam memoratis ad ſudandum vix aut omnino cogi poſſunt, invenientur; ſed in balneum tepidum, antequam medicamentum ad eliciendum ſudorem aſſumpſerint, deſcendendo; iis ſudor alioquin parcus futurus vel prorſus nullus facile prorumpat. Sudatio, ſi ullum inſigne commodum ab illa expectandum; horas octodecim ad minimum et ſæpe ad ſpatium duplo majus neceſſe eſt, ut protrahatur. Julapii ſalini ad ſudorem promovendum et perpetuandum haud parum proderunt. Ad ſolitum cibum ingerendi tempus, juſculum bovinum tenue cum pane toſto ſudanti permittendum; et nonnullis exemplis per intervalla pro potu ſerum vinoſum. " Cavendum a ni-
" mio calore, ſive aëris, ſive veſtitus, ſive potus,
" ſive medicamentorum quæ inter ſudandum ſu-
" muntur;

" muntur; tali enim auxilio raro opus eſt, neque
" ſemper tuto adhibetur. Sudores enim per calo-
" rem extorti raro proſunt, et calor in multis mor-
" bis inſigniter nocet."

" Cavendum quoque a frigore, non interſudan-
" dum modo, ſed aliquandiu poſt finitum ſudorem;
" ſcilicet quod tunc, ratione minime obſcura,
" præter ſolitum periculoſum eſt, ut multi qui
" credebant ſe per bonum ſudorem fuiſſe ſanatos,
" miſerrime ſunt experti."

Regimen antiphlogiſticum per totum morbi decurſum diligenter adhibendum. A carnibus ut et cibis ex iis paratis, maxime vero a liquoribus fermentatis, aromaticis, et ſpirituoſis quibuſcunque æger inhibendus. Cibus ex rebus vegetabilibus et lacte conſtet. Ad ſitim reſtinguendam porrigendus eſt ægro potus tenuis, mitis et blandus; cujus modi ſunt decoctum hordeaceum, avenaceum, ſerum lactis, quo nullus magis convenit; ſcilicet quod (ſi verba Gregorii mutuari liceat) aliquantum alit, et multum reficit, et ſitim temperat, et corpus refrigerat, et putredinem arcet, et alvum leniter

ſolvit. Apud Sydenhamium magni æſtimatum fuit, et per id ſolum, vel præcipue ſaltem, hunc morbum depuliſſe ponit.

Proximo loco diſpiciendum venit, qua demum arte ſecundæ, quam inſtituimus, intentioni ſatisfiat. Ad hoc conſilium remedia tum externa tum interna a medicis in uſum revocantur. Apud nonnullos veſicatoria in exiſtimatione et frequentiſſimo uſu exiſtunt; et profecto, ſicubi leves impetus morbus fecerit, et partes ſingulas, ut lumbos, tantum impegerit, hæc ſola, attentione veſtitui idoneo (quod imprimis neceſſarium eſt) ſimul impenſa, partibus laborantibus tempeſtive admota, uſu aliorum quorumvis remediorum, haud raro ſuperſedebunt. Nec minus certum eſt, quin optimos ſæpe effectus, poſt gravem morbi impetum remediis antedictis propemodum ſolutum, partibus propriis etiamnum acriter dolentibus admota, ſimiliter præſtiterint. Si vero dolores huc illuc vagentur, parum, ut experientia conſtat, proficient. Sinapiſmi, ranunculus, cui Storck inſignem laudem tribuit, oleum ammon. et multa alia remedia, quæ vocan-

tur

tur rubefacientia, identidem commode adhibentur. In multis vero casibus sedula strigili vel panno laneo partium frictio, artubus lanula arcte involutis, medici votis æque respondet. Ex exacerbationibus vespertinis hoc in morbo sese manifestantibus cortex cinch. intra pauculos hos annos apud Londinenses multo solito maturius adhibitus fuit, et impræsentiarum statim atque vis cordis et arteriarum remediis lenibus antiphlogisticis aliqua ex parte imminuitur, cortex apud eos in liberum usum revocatur. A nonnullis autem, et iis haudquaquam contemnendis, ad hujus usum non prius decurritur, quam diathesis phlogistica multum fuerit imminuta, vel prorsus sublata; ægro jam jam in chronicum illapsuro. Hic vero non nostrum est tantas componere lites; hi enim ex roborantium medicamenti virium sua fide haud facile crediderint, tale tonicum remedium in manibus illorum tam bonos effectus præstitisse. Guaiacum huic consilio, vel sub boli vel tincturæ formam insigniter convenit; nimirum quod excretionem per cutem solicitat, alvumque simul ciet. Cum primum revalescentis

artuum conditio et vires foras prodeundi poteſtatem dent, equo vehatur; et, rebus circumſtantibus faventibus, frigidarium quam primum repetat, eique in unius minuti alteriuſve ſpatium immergat, ſtatim atque e frigidario emerſerit, ſedulo exſiccetur, et veſtimenta lanea iterum induat.

Licet omnem curam ad hujus morbi ſequelam præcavendam medicus impendat, operamque diligentiſſimam navet; tamen quibuſdam conſtitutionibus ad pugnam haudquaquam valebit. De hac vero nunc quam pauciſſime differendum eſt. Hic ſinapiſmi, camphora cum variis conjuncta, embrocatio terebenth. cum multis aliis rubefacientibus, identidem magno uſui eſſe poſſunt. Quædam ex hydrargyro præparata, poſtquam omnia alia remedia, quæ uſitate adhiberi ſolent, incaſſum tentata fuiſſent, nonnullorum votis ſatisfecerunt.

Apud Darwinium hydrar. muriat. mit. opio adjunctus in magna exiſtimatione extat. Oleum jecoris aſelli vel aſini varii ad cochleare magnum pro doſe, pauxillo ſpiritus frumenti admiſtum, unaquaque nocte devorandum, et aliquandiu perpetuandum,

tuandum, Dr Hope teſte, maximo cum fructu adhibetur. Vi exhalationem per cutem ſolicitandi inſigniter pollet. Profeſſor, ut cortex cinchonæ illi vires ſuas auxiliares porrigat, ſimul monet. Oleum terebinth. tantis laudibus a Pitcairn et Cheyne celebratum, quippe quod effectus ſuos brevi in corpus univerſum diffundit, vaſaque extrema ubique corporis concitat, auxilium haud parvum hoc morbo laborantibus promittit. Pauci vero, quorum ventriculo, in doſibus ſaltem auctoribus jam memoratis præſcriptis conveniat, me judice, invenientur.

Ad ſummum, remediis externis, Gregorio ſuadente, potiſſimum fidendum eſt: Cujuſmodi ſunt, lanulam cuti citimam gerere; frictio ſtrigili vel hujus vice panno laneo; frigidarium, ut ſupra laudatum, in uſum adhibitum; balneum calidum, cujus dotes tales ſunt, quales ſolida ſimplicia relaxant, fibras motrices excitant, excretionemque per cutem inſigniter promovent: Si vero totum corpus nimis relaxare videatur, tunc ab affuſione aquæ calidæ partibus affectis per antliam exiguam

(ut

(ut moris est Bathoniæ) auxilium petimus. His quoque, electricitatem scintillarum plurimarum quotidie aliquandiu e partibus elicitarum forma, et exercitationem generalem sed præsertim artuum qui afficiuntur, licet, annumeremus.

---

Hac dissertatiuncula jam ad finem perducta, solummodo restat, ut palam agnoscam, quantum Professori DUNCANO, viro urbanitate, doctrina, acerrimisque ingenii dotibus præclaro, ob insignem erga me decumbentem curam amicitiamque, debeam.

FINIS.